Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1557

Quelle:
Copyright:

birſuti incultique
velut quodam impreſſum ſtigmate ſpeciale
paululum per defecta membra ſolitam cinguli obſtructionem &c.

Praeterea pium *Carthuſianorum* morem non omittam. Notatur enim ad L. IV. c. 32. minio in margine: *Iſte paſſus qui ſic incipit:* Noſti ait quot &c. *legitur in refectorio in die profeſſionis nouiciorum. Cui precedit titulus talis:* Quarto libro renunciancium Johannis Caſſiani: Ex collacione pynufij abbatis. A L. XII. c. 8. verbis: *ero ſimilis uobis mendax* — — membranae exciderunt.

DCLXVI.

U. 166 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 330. f. per duas columnas, non una quidem manu, probe tamen ſcriptus, rubricis enotatus, et, ut praefertur, legatus *ad Collegium B. V. Domus rubee roſe apud fratres predicatores in Wyenna* a *Thoma Haſelbachio* ſaepe laudato, *patre ac ſuperintendente prefati collegij fideliſſimo*, ſequentia continet: I. ἀνεπιγραφως *Capitulum primum. de ſtudio ſapiencie et eius commendacione.* Initium eſt: *Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Audiant adoleſcentuli ſermonem de adoleſcente* &c. Habemus igitur *Richardi Scoti S. Victoris Pariſ.* Canon. Reg. anno 1173. extincti Librum *de Praeparatione animi ad contemplationem*, qui, ut ab ejus Tractatu *de Gratia Contemplationis* ſeu *Benjamin majore* V. Libris conſtante diſtingueretur, etiam *Benjamin minor* audit, Capita 87. cenſet, in Editione a. 1494. *ſ. l.* 4. titulo *de XII. Patriarchis* mihi objacet, et in *Opp. omn. Coloniae* 1621. 4. ad p. 178. legitur. Atque haec Lectio non uno loco e *Codice* noſtro perfici poſſet. Ad ejus calcem Librarius annum 1429. notavit.

birti incultique
velut quoddam impreſſum ſpeciale
pauliſper defecta membra ſolita cinguli obſtructione &c.

II. *fol.* 25. ſequitur Συνταγμα *Homiliarum* et *Sermonum S. Johannis* dicti *Chryſoſtomi* Ep. *CPolitani* numero XXIX. in antiquis verſionibus, initio ſumto a *Sermone I. de Cruce et Latrone*, qui incipit: *Hodierna die dominus noſter pependit in cruce* &c. et habetur edit. gr. lat. *Maur. Pariſ.* 1718. T. II. p. 403. Atque ita et reliqua partim genuina, partim ſpuria per priores hujus Editionis Tomos ſparſa ſunt, exceptis ſequentibus, quae fortaſſe meam in veſtigando diligentiam fefellere: 1) *Omelia de Cruce et Latrone.* Init: *Hodie incipiamus kariſſimi de crucis tropheo predicare* &c. 2) *De Eruditione diſcipline.* Init: *Eruditio diſcipline cuſtos eſt ſpei* &c. 3) *De Militia ſpirituali.* Init: *Bona quidem fieri et vtilia regis* &c. 4) *De Militia chriſtiana.* Init: *Omnes homines qui ſe ſtudent*